

## DE CONSERVANDA

uersiam inter medicos, de electione carniū, quanta prima facie apparet. Notandum insuper, carnes animalium sicce complexionis, meliores esse circa partum, quā multum à partu distantes. Ergo hœdi & lactentes uituli meliores sunt hircis & bobus, quia eorum siccitas primæ ætatis humiditate corrigitur. Sed carnes animalium complexionis humide meliores sunt distantes à partu, & circa partum deteriores, quia nimia eorum humiditas progressu ætatis exiccantis, id est iuuentis, corrigitur aut tollitur, & ab humiditate primæ ætatis augetur. Ideo iuuenes arietes castrati unius anni, sunt meliores minusq; uiscosi lactentibus agnis, & porci unius uel duorum annorum porcellis lactentibus meliores. Vnde bene dixit Auicenna 3. 1. cap. 7. Oportet autem, inquit, ut cibus sit talis, quales sunt carnes, & propriè carnes hœdorum & uitulorum lactentium paruorum, & agnorum unius anni. Ex quibus omnibus concluditur, quod carnes hircorum, caprarum, arietum, boum & porcorum antiquorum, non castratorum, & porcellorum, & agnorum lactentium, non multum conueniant pro conseruanda sanitate, sed carnes uitulorum iuuenum & arietum unius anni, & porcorum unius uel duorum annorum, castratorum, aptissime sunt esui ad conseruandam ualetudinem. Est præterea notandū, carnes declinantes ad siccitatem, esse elixandas, ad humiditatem assandas, ut humiditas

Carnes  
male.

Carnes,  
bonæ.